



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Argvmenta Hvivs Capitis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

*Psal. 118.**Psal. 105.*

quod effodi mihi. Gaudisum sum vehementer, quod inteni sepulchrum, ut dormiam in illo, & non videam mala super terram. Tædet animam meam vitæ meæ, & dolor meus reuouatur quotidie. Peto ergo mi Domine Deus, ut absolvas me ab omni peccatorum vinculo, & desuper terram eripias me, quia melior est mihi mors quam vita. Et quid hic amplius faciam? Trāseunt dies & dies, anni & anni, seruus autem tuus non multum proficit. Ne protrahas indignum seruum tuum, nec patiaris eum diutius vagari post vanitatem huius vitæ. Erravi sicut ovis, quæ periit; require seruum tuum Domine, quia tempus est. Neque iustitia mea, neque bonitas mea Domine: sed misericordia tua & mansuetudo, quæ mensurari non potest. Secundum hanc fac mihi seruo tuo, & visita me in salutari tuo, ad viuendum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ; ut lauderis cum hereditate tua quam acquisisti sanguine tuo. Qui cum Patre & Spiritu sancto manes Deus benedictus in secula. Amen.

DE SOLITVDINE

ET SILENTIO.

CAPVT PRIMVM.

De Solitudine.

ARGVMENTA HVIVS CAPITIS.

P refatio, in qua commendatur solitudo.	§. 1
De consideratione diuina bonitatis.	2
De humilitate nostra, secundum ordinationem Dei.	3
Vtile esse existenti in quiete, ut recogitet de priori labore.	4
De amore ad solitudinem & secretum.	5
Quod non omnium est vacare.	6
Contemptus consolationum extranearum.	7
Consolatio infirmorum.	8
Consolatio in scripturis diuinis.	9
Spiritualis dilectio ad Sanctos.	10
Congratulatio ad piè defunctos.	11
Consolatio spiritualis hominis.	12
Communis vita magna iam apparet, si bene seruetur.	13
Signa deuotorum.	14

Teh.

<i>Tentationes deuotorum.</i>	15
<i>Reprobatio temporalis solatij.</i>	16
<i>Commendatio dulcedinis caelestis, quae est in Christo.</i>	17
<i>De familiaritate cum Iesu.</i>	18
<i>Quod diuersimodè nunc adest Iesus dilectis suis.</i>	19
<i>De laude patientis aduersa cum Iesu & scandala.</i>	20
<i>De solatio habendo cum Christo Iesu.</i>	21
<i>Vita Christi & sanctorum extra mundum fuit.</i>	22
<i>De quiete cellicola à turbine seculi.</i>	23
<i>De inclusorio & secreto cordis in omni loco.</i>	24

1. Praefatio, in qua solitudo commendatur.

Charissime, cū esses in occupationibus externis, & pro nomine Christi laborem subiisses fraternum, breui quadā admonitione (sicut tunc poscebat rei utilitas) te iuuare quasi spiritali manu volui, quoniam aliter non potui; vt dum illam aliquādo attenderes, rectius inter curas ambulares. Sed iam nunc cū solutus sis ab illo onere, & restitutus pristinae quieti, etiam solatium fraternum tibi nolo subtrahere: sed modicum de amore cellae & silentij custodia (quia sic ordo postulat viuendi) dicam.

2. Confederatio diuina bonitatis.

Debes in hac restitutione tua, diuinam super te bonitatem multiformiter attendere & ei, quacunque de causa factū sit, multum regratari. Autūno quod pro tuo profectu erit, quicquid expertus es in illo officio, quod ante nesciebas. Spero iterū, quod nō minus tibi prosperabitur ad bonum tuum, quoniam liberatus es & solutus, atque tibi plenus redditus.

3. De humilitate nostra, secundum ordinationem Dei.

In omnibus denique temporalibus variationibus, siue per nos siue per alios contingunt, supernam ordinationem considerare debemus; & tali ordinatione nos humiliter Deo prosternere, atque petere, vt ipse nobis donet, quod salutē nostrae plus viderit prodesse. Sicut lutum in manu figuli, ita nos in manibus eius. Tantū dignetur nos facere vas in honorem, & non in contumeliam. Siue fecerit nos paruos, & contemptibiles, & extremos inter fratres nostros, non hoc multū curemus, dummodo aequè illi mereamur placere. Et vtique credimus & confiteri debemus; vnam Deum patrem nos omnes habere, quotquot siue per gratiam